

6. Ariani docuerunt Logon esse supremam quamdam creaturam quae loco animae humanae unita fuit carni humanae ut Christus constitueretur. Dammati conc. Nicaeno, DB 54, in diversas partes divisi, usque fere ad conc. Constant. I (DB 86) gravissime ecclesiam vexaverunt. Vide Grillmeier, apud Grillmeier-Bacht, Das Konzil von Chalcedon, I, 1951, pp. 68-77.

7. Apollinaris, ep. Laodicaeae, ob. c. 390, divinitatem Verbi affirmavit, sed modum unionis concepit sicut Ariani, ut sit unio naturalis, substantialis inter Verbum et carnem humanam, exclusa anima intellectiva. Unde discipuli eius dicebantur synusiastae. Litt. Altaner p. ~~229~~ 280 ¹s. Expositio, Grillmeier, l.c., pp. 102-120.

Contra exaggerationem Apollinistarum exaggerate egisse censentur Diodorus ~~Tarsensis~~ et Theodorus Mopsuestenus. Vide Grillmeier, pp. 130-159. Circa Theodorum habetur opus P. Sullivan.

8. Nestorius, ep. Constant., ita distinxit duas Christi naturas ut earum unionem non salvaret; unde Mariam matrem hominis, Iesu, Christi ^{sed matrem Dei negavit;} ~~sed non Dei~~ affirmavit, duce Cyrillo Alex. damnatus et depositus est a conc. Ephesino, a. 431. Litt., Altaner, p. 302 s. Expositio, Grillmeier, pp. 159-164.

9. Monophysitae verba potius quam mentem S. Cyrilli fidelissime sequentes, concluserunt Christum ex duabus ^{fieri} naturis ~~esse~~ sed in duabus naturis non esse. Dammati conc. Chalcedonensi, DB 451.